

fervandi totius corporis humani facultatem obtineat, necesse est: Cum id ipsum nihil aliud existat, præterquam *αὐτοφύεις* Mineralium Essentia, si Anatomia Microcosmi cum maiori Mundo conferatur. Idcirco Hermaphroditus universum corpus humanum, quod ex integritate actionum suarum ex quavis offensione ægrum judicamus quacunque ratione affectum, ad absolutam & exquisitam Symmetriam perducit, ut in naturali constitutione ad vitam longam nihil perfectius desiderari queat.

*Hermaphroditus  
S. h. c.*

ANIMA AVTEM HERMAPHRODITI  
*ita conficitur.*

Essensificati Spiritus Mercurialis & Chalcanti, cuiusque æquales sume portiones, & ad justum dierum intervallum à Philosophis definitum congelari finito: Tunc exurgit Hermaphroditi flos Saphyricus, admirandum Maioris Mundi Mysterium. Cuius pars, si in mille liquari Ophirizi partes infundatur, id omne in sui naturam convertit: Eiusque rursus Drachma in mille æris Drachmas immissa, id universum in aurum transmutat purissimum.

Sic & Hermaphroditi granum, ac Theriacæ sive Mithridatii scrupulus è vino generoso semel atque iterum introsumpta, corpus quovis modo conflictatum, in pristinam *εὐνομίαν*, naturalemque statum restitunt. At si foris ad externa vitia medicè adhibere placet, cum stillaticio Hydropiperis liquore usurpetur, necesse est: Tunc cuiusvis Balsami præstantiam superat, chirurgicorumque effectuum summam curationem expedit. Is Hermaphroditus est Tinctura Monarchiæ Chymicæ præfectis cognita, Lapis à nomine signatus proprio nomine, Ignis Æthereus, infinita verborum Ænigmatumque obscuritate involutus,

EX PHAEDRONIS AGRIPPA SEQUITUR hæc Descriptio.

Secretum Secretorum est Lapis Philosophorum. Si felicitatem desideras, ut Benedictionem Philosophorum obtineas, vivit Deus in æternum, vivit hæc veritas tecum.

Vnum est in Mundo Obiectum omnium, quod propriè dicitur Philosophorum, Album & Rubeum in se continet: Vnum Masculus, aliud Fœmina nuncupatur. Animale, Ve-